

abeat? Quæ tanta cœli fuerit vel ærea, vel plusquam centies millies ferrea, quæ tanta commotione, non perfringatur? Non disperdatur. Si noluerunt nos credere, extra cœlum esse vacuum, quod locum corpori possit dare, cur hæc tanto impossibilia proponunt, et verissima esse contendunt? Sed præter hæc, nos ab eis quæremus. Unde cœlo sit tanta vel ærea, vel ferrea soliditas? Aristoteles enim situs, dum cœlos in figuram sphæricam conformaret, satis molles esse confirmavit, quando sibi invicem cederent, et impressoris figuram reciperent. Quid vero, si verum sit, soliditatem omnem, vel terram, vel terream esse, vel aqueam concretam dicamus ne, in cœlo, et aquam, et terram esse? Orphei sane, et Platoniorum maiorem sententiam iam antea retulimus, non hæc sola duo ibi esse, sed duo quoque reliqua ærem, et ignem. Plotinum autem diximus, cœlum ignem esse statuere. Si hæc sola vera sit, iam cœlum non est solidum. Si quatuor ibi esse, verum sit, non poterit ibi tanta esse soliditas, quintam celeritatemque perenni rotatione non frangatur. Aristoteles, a seipso, ut semper varius, quintam quandam essentiam, ab elementis quatuor longe aliam, nullisque horum præditam qualitatibus, cœlem esse asseruit. Sed qualis, et quæ, ea quinta essentia, neque aperuit, neque aperire potuit. Sed qualiscumque tandem ea sit, tam mollem fecit, ut figuram sphæricam sibi imprimi sit passa non difficulter, quod iam est ostensum. Sed et hac alia methodo, rem eandem contemplerur. Cœli corpus, vel simplex est, vel mistum. Si dicamus esse mistum, dicendum quoque erit, ex quibusnam sit mistum. Vel ex quatuor scilicet omnibus elementis, igne, ære, aqua, terra, vel ex eorum summatibus, ac veluti floribus. At Peripatus et Astronomi hoc ipsum negant. Omnia namque elementis mista, vel perfecta, vel imperfecta in elementis habitare afferunt. Horum nihil illuc ascendere. Si vero ex nostris fundamentis, est spacio, ex lumine, ex calore, ex fluore, tamquam ex communibus rerum omnium elementis, cœlum dixerimus esse compositum, verum equidem dicemus, sed non tanta posse esse duritie, ac soliditate, ut tam vehementi rotatu, non dispergatur. Si vero cœlum, quod Chaldæi docuerunt, solum est lumen, lumini, nulla est soliditas, nulla durities. Si vero calor aut ignis est, ut Plotinus contendit, absque ulla est, soliditate. Si vero fluor est solus, quem Moses, aquam, Hermes forte, humidam dixit naturam, omni etiam caret, et soliditate, et duritie. At qui hæc asserunt, cœlum, non iam mistum corpus esse, sed simplex crediderunt, et uti simplex considerarunt. Utrovis modo id sint contemplati, duri ac solidi in eo, nihil compererunt. Si nihil in cœlo est durum, si nulla est in eo soliditas, nullam profecto fixationem, vel nodorum, vel stellarum potuit suscipere. Omnis enim fixio, ut sensus ipsi contestantur, sit solidi in solidum, seu duri, in durum. Tales enim tabularum nodi sunt. Hac ratione clavi, lignei, ærei, ferrei, in ligna, in lapides forte aliquos; in metalla omnia, in terras varias figuntur; in carnes animalium, in ossa. Atque huiusmodi alia si quis reperiat, fixationem fieri ullam, duri corporis, in durum corpus, eam fieri cognoscet. At cœlum nulla esse potuit, aut potest esse, vel soliditate, ulduritie. Stellæ, quia ignes, quia flammæ sunt, ut mox demonstrabitur nulla sunt duritie, nulla soliditate. Nulla ergo inter cœlum et stellas, aut accidit iam olim, aut modo est, fixio. Neque igitur, stellæ, cœlo sunt infixæ. Neque cœlum stellis. Neque cœlum stellas sibi fixas gerit, aut circumvoluit. Toto ergo errarunt cœlo et Philosophi, et Astronomi omnes, qui stellas cœlo fixas, uti nodos tabulis esse docuerunt.

*Finis Undecimi libri Pancosmiæ.*